



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

Episcopus si ab aliquo pulsatur, per episcopos iudices causa finiatur. cxlv.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

tionis vitam ducunt : quoniam tales facilè & indifferen-  
ter lacerant, & criminantur rectè & piè viuentes. Ideo  
suspicio erum discutienda est primò & corrigenda. Ne-  
que accusatoribus suspectis, vel de inimicorum domibus  
prodeuntibus credendum.

*Episcopus si ab aliquo pulsatur, per episcopos iudices  
causa finatur. Cap. CXLV.*

**S**I quis episcopus à quoquam impetitur, vel ille aliquam *Ex cōcil.*  
quæstionem retulerit, per episcopos iudices causa fi- *Spalensi,*  
niatur: siue quos eis primates dederint, siue quos ipsi vi- *cap. 8.*  
cinos ex consensu elegerint.

*De episcopis iudicibus quos communis consensus  
elegerit. Cap. CXLVI.*

**I**udices autem episcopos, quos communis consensus *Ex eodē*  
elegerit, non liceat quemquā prouocare : & quisquis *cōc. ca. 9.*  
probatu fuerit pro cōtumacia nolle obtemperare iudici-  
bus. cū hoc primæ sedis episcopo fuerit probatū, det lite-  
ras, vt nullus ei cōmunicet episcoporū, donec obtēperet.

*Vt episcopi comprounciales peregrina iudicia non  
patiantur. Cap. CXLVII.*

**P**eregrina verò iudicia, salua in omnibus apostolica *Ex decre.*  
auctoritate, generali sanctione prohibemus. Quia in- *Fabiani*  
dignum est vt ab exteris iudicetur, qui prouinciales & à *pape Hi-*  
se electos debet habere iudices, nisi fuerit appellatū. Vn- *lario epi-*  
de oportet, si aliquis episcoporum super certis accusetur *scopomis-*  
criminibus, vt ab omnibus audiatur qui sunt in prouincia *sis, ca. 26.*  
episcopis : quia non oportet accusatum alicubi quàm in  
foro suo audiri.

*De episcopo criminato, si iudicem suspectum ha-  
buerit. Cap. CXLVIII.*

**S**I quis verò episcopus iudicem suspectum habuerit, *Ex decre.*  
& viderit se ingrauari, liberè sedem apostolicam ap- *eiusdē ad*  
pellet. Appellantem autem non habeat afflictio vlla, aut *eundē epi-*  
detentionis iniuriôsæ custodia, sed liceat appellatori cō- *scopū mis-*  
uiciantum causam appellationis remedio subleuare: licet *sis, ca. 27*  
etiam in causis criminalibus appellare, nec appellandi vox  
denegetur ei, quem in supplicium sententia destinarat.

*Si quis episcopus in crimine detentus fuerit, & non po-  
test plurimos congregare, à XII. episcopis  
audiatur. Cap. CXLIX.*